20
B

CUM per nuperam dispensandi hâc in Academiâ licentiam, ut aliæ ferè omnes, ita speciatim Baccalaureorum in quadragesimâ disputationes, pristinam frequentiam & solennitatem magnam partem amisere: nimirum paucis ad Festum Ovorum in secundam præsentationem se sistentibus, reliqui de indulgentiâ securi tumultuariè & extrà ordinem in aliquâ sequente quadragesimâ prout ipsis libitum est respondere solent. Ut huic incommodo maturè subveniatur, visum est præsente hoc Programmate monere omnes & singulos ad gradum Baccalaurei hoc Anno admissos, aut in posterum admittendos, ut ad Festum Ovorum se denuò præsentandos, & in Classium seriem distribuendos sistant. Insuper profitemur & denunciamus, nemini deinceps absenti, nisi ex causâ evidenter sonticâ veniam factam iri. Datum Octob. 25. Anno 1666.

JOHAN. FELL Vice-Can.